



Disputatio medica inauguralis de phthisi

<https://hdl.handle.net/1874/347250>

37.

D I S P U T A T I O M E D I C A
I N A U G U R A L I S,
D E
P H T H I S I.

Q U A M,
DIVINO FAVENTE NUMINE,
Ex auctoritate Magnifici Rectoris,

D. HERMANNI van HALEN,

S.S. Theologiæ Doctoris, ejusdemque Facultatis in Inclytâ Academiâ
Ultrajectinâ Professoris Ordinarii, Verbique Divini ibidem in
Ecclesiâ Praeconis,

N E C N O N

*Amplissimi Senatus Academicî consensu, Nobilissimaque
Facultatis MEDICÆ Decreto,*

P R O G R A D U D O C T O R A T U S,
Summisque in MEDICINA honoribus & Privilegiis
ritè, & legitimè consequendis,

Eruditorum examini submittit

J OHANNES van den T REEK, M EDIOBURG.
Ad diem 30. Auguſti, hora locoque ſolitis.



T R A J E C T I ad R H E N U M ,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiæ
Typographi, clc lcc LXXXIX.

D E O
TER OPTIMO
MAXIMO,
PRÆCEPTORIBUS,
CONSANGUINEIS,
E T
VERÆ MEDICINÆ
CULTORIBUS.

Hoc Exercitum Inaugurale

Offert & inscribit,

JOHANNES VAN DEN TREEK,

AUCTOR.



DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS.

D E

P H T H I S I.

THESIS I.



Efininitur Phthisis, quod sit ematiatio totius corporis, originem sumens à mala pulmonum conformatiōne, vel intemperie sanguinis acri & salina, cum febri hectica, tussi, sputo cruento, & phlegmate purulento.

I I.

Partes affecte sunt, plurumque pulmo, vel in uno, vel in altero, vel in utroque latere, semper vero sanguis, & consequenter etiam partes solidæ.

I I I.

Gradibus tamen differunt Phthisios species. *Primus*, in quo ematiatio corporisque consumptio nondum ita manifestè

A 2

appa-

4 . DISPUTATIO MEDICA

apparent , & symptomata admodum urgentia non adsunt.
Secundus , cum partes carnosæ & pingues notabiliter consu-
muntur. *Tertius* , in quo cutis vix ossibus hæret , totaque
machina sensim ad interitum vergit , & incurabilis illa species
est. Aliquando ea etiam ex contagio fit. Et non raro malum
hæreditarium est.

I V.

Signa per se manifesta sunt , & ex ipsa definitione peten-
da , ematiatio scilicet & consumptio corporis , tussis , san-
guinis aut puris sputum , febris lenta , post prandium ple-
rumque ingraevescens , & notabilis palmarum calor : quæ ta-
men signa non semper & ubique adesse solent : in nonnullis
sanguinis , in aliis puris sputum adest , tussis in quibusdam
mitior , in multis molestissima , & febris aliis vix percipitur ,
& in plerisque sine intermissione continua est.

V.

Causa hujus mali proxima est (ut taceam antecedentes
særem scilicet , cibum & potum , somnum & vigilias , mo-
tum & quietem , excreta & retenta & animi pathemata) san-
guis acreidine peccans , hoc illudve viscus & potissimum pul-
mones afficiens , cuius particulæ acres & scindentes , pulmo-
num substantiam vesicularē lœdunt , & filamenta ejus præ-
scindunt , hinc humoris extravasatio , & sputi sanguinei ex-
cretio , aut , si diutius hæreat , in pus conversio , non tamen
pulmones præ reliquis speciatim afficiuntur ; aliquando tota
massa sanguinæ universim acrior redditæ , omnes partes cor-
poris , nullis exceptis , consumit ,

VI. Haud

INAUGURALIS.

VI.

Haud difficile jam foret, symptomata enarrata inde deducere. *Emariatur corpus*, quatenus particulæ nutritientes, ab intemperiè sanguinis acri, aliam figuram adeptæ, nullibi adhærere possunt, sed per insensibilem transpirationem inauras abeunt, vel cum aliis excrementis excernuntur. *Tussis* adsit necesse erit, si sanguinis aliorumve humorum acres particulæ, in subtilissima pulmonum textura hærentes, ibidem pungant, vellent, & nervos ubivis disseminatos tangant, hinc pulmonum cum sonitu contractio, a partibus exspirationi inferuentibus. Vas aliquod sanguineum simplex aut plura, ab eadem causa lœsa, *sputum* producunt *sanguineum*. Qui vero extravasatur sanguis, diutius in cellulosa pulmonum hærens substantia, in pus convertitur, quod tandem tussi rejectum, *sputi purulentii* essentiam explicat.

VII.

Febrem ab eadem causa produci manifestum, dum sanguinis fermento, tali modo vitiato, circularis ejus motus vitiantur & turbatur, præterquam quod particulæ fermentantes & alium ætherem transmittentes, hunc sanguinis turbatum motum promovent.

VIII.

Post prandium ingravescit illa febris, quatenus peracta chylificatione, novæ particulæ, ad sanguinem accedentes, & cum reliquis primo instanti non convenientes, nova inde oriantur lucta, quæ ingravescientiæ causa existit.

DISPUTATIO MEDICA

I X.

Palmarum ardor percipitur, quod cutis ibidem durior & callo saepius obducta, poris donata sit constantioribus, in quibus particulæ salinæ hærentes, tali modo afficiunt genus nervosum, ut, quasi ab igne tactum, caloris ardorisve ideam repræsentent.

X.

- Enarratis symptomatibus, *prognosis* inde resultat: quod primus *Phtisis* gradus haud ita difficile curetur. Difficilior est secundus, & difficillimus tertius gradus: ubi sputum redditur fœtidum, capilli decidunt, & diarrhœa accedit, patientem mortis candidatum pronuntiare licebit. Quæ hæreditaria, incurabilis habetur.

X I.

Necessarium itaque sanguinis intemperiem salinam corrige-re, materiam purulentam evacuare, vulnus consolidare, & convenienti diæta vires refocillando augere.

X II.

Cura auspicanda a leniter purgantibus, syrupo scilicet rosa-rum, rhabarbaro, manna, cassia fistula, prunis &c. Venefictionem, quam aliqui commendant, valde nocivam fore cre-derem, deinde jusculis utatur pectoralibus: ex capillo vene-ris, pulmonaria, scabiosa, tussilagine, aliisve similibus, vel talis posset componi formula,

B. Hord.

I N A U G U R A L I S. 7

- R. *Hord. mund.* 3ij.
- Rad. Consolid.* 3ij.
- Glycyrr. ras.* 3*lb.*
- Herb. Sanic. Pyrol.*
- Veronic. Alchimil.*
- Tussilag. aa. m. j.*
- Flor. Ros. Rub. p. ij.*
- Ficnum. n. viij.*
- Passular. 3ij.*
- Aq. q. f. Apozema ad tbij.*
- Addend.*
- Syrup. de Symphyt.* 3ii*lb.*
- de quo ter quaterve de die sumat.* 3iii.
- vel iiij.*

Si cui mixtura commodior videatur, sequens esto.

- R. *Aq. Hyssop. Foenic.* aa. 3ij.
- Vit. Matbiol.* 3vj.
- Ocul. Canc. Diij.*
- Antimon. Diaphoret.* 3*lb.*
- Hydromel. Symplic.*
- Syr. Fufubin.* aa. 3vj.

F. M. *Cochl. Sumenda.*

Huic scopo inserviunt etiam pilulæ sequentes, potissimum
ubi consolidationem respicimus.

- R. *Therebint. Venet. Coct.* 3*lb.*
- Balsam. de Copayva.* 3*lb.*
- Polv. Glycyrr. q. f.*

M. F. *Fil. Parva.*

Quarum quinque aut septem singulis diebus assumat. Plura
medicamenta non addo, quod passim apud auctores eadem
sufficienter occurant.

XIII. Por-

8 DISPUTATIO MEDICA INAUGUR.

X I I I.

Porro summopere necessariam, exactam observare dietam, ex pane & jure pulli cocto, ex pulli carnibus, ovis sorbillibus, hordeatis &c. Potus sit cerevisia tenuis dulcisve. Vini grati & dulcis tantillum etiam concedatur. Aér temperate calidus sit. Alvus si segnior fuerit, leniter purgantibus lenienda. Vehementiora exercitia & animi pathemata majora effugienda.

F I N I S.

